

exercuit auctoritate prepositi majoris, archidiaconi in Sutherem. Interrogatus, ubi Reinardus crisma acceperit, dicit, quod in ecclesia Verdensi, sicut et ceteri sacerdotes archidiaconatus Sutherem. Dicit et Heinricus, quod idem sacerdos filiam comitis Bernardi <sup>51)</sup> et filium comitis Sifridi de Osterburg <sup>52)</sup> in capella, que edificata est in Campo, baptisavit. Dicit et, quod temporibus Hugonis, Tammonis, Rodolphi episcoporum ecclesia Verdensis castri Otterberg et predictorum locorum in quieta possessione fuit. Dicit et, quod dominus Iso, nunc episcopus Verdensis existens, in possessione quieta fuit ejusdem juris spiritualis, usquequo captum fuit castrum Otterberg a domino Bremensi. Dicit et, quod dominus Iso filiam comitis Bernhardi in Otterstide, deinde et filium in Sutherem <sup>53)</sup> baptisavit. Dicit et, quod Alheidis, uxor Bertoldi de Otterstide, castellani de Otterberg, post captivitatem ejusdem castri factam a Bremensi archiepiscopo bis in ecclesia Sutherem post puerperium inducta est ab eo. Dicit et, quod auctoritate Hildewardi prepositi Verdensis, archidiaconi in Sutherem, duos adjuratos ante captivitatem castri instituit, unum post alterum. De uxore Gerfridi <sup>54)</sup> dicit, quod cum Meinolfo in castro Otterberg eam inunxit, et post mortem missam in ecclesia Otterstide celebravit Meinolfus, que de licentia ejusdem sacerdotis Zevena est sepulta. Dicit et, quod filius Arnoldi de Matelen, mortuus in castro Otterberg, sepultus est in ecclesia Otterstide a Meinolfo sacerdote.“

„Wicboldus canonicus Hildensemensis juratus dixit, quod presens fuit, quando dominus Iso Verdensis episcopus cimiterium in Campo consecravit et mortui in castro Otterberg sepeliebantur in cimiterio Otterstide.“

„Luderus sacerdos, canonicus Verdensis, juratus dixit, quod Sifridus sacerdos de Otterstide celebravit missam in Bocberge, quam receperat a domino Friderico, domino castri, ratione parrochie sub domino Hartwico Bremensi archiepiscopo <sup>55)</sup>, et propter hoc vehementer credit, quod in predicto loco gesserit curam animarum et cetera sacramenta expleverit. Dicit et, quod, cum comes Bernhardus erat dominus castri,